.b.

AD

SACRAM CÆSA-REAM REGIAMQUE MAJESTATEM

HUMILIMA

CONSOLATORIA

SUPRA LUCTUOSA AMISSIONE
PRÆMATURE NATI
STATIM DENATI

PRINCIPIS INFANTIS.

SACRA CÆSAREA, REGIAQUE MAJESTAS.

IUvat ſæpius Sacris Tuis genibus advolvi, DOMINE. Mallem tamen in lætiore cauſâ; Sed qualiſcunque ſit, certè adeundi juſta eſt. Non enim proſperis modò ſed & adverſis rebus adſunt, qui fidem potiùs quàm fortunam colunt. Tu autem IMPERATOR, ita à naturâ compoſitus, ab

inſti-

inſtitutione formatus, à moribus aſſuefactus es, ut utramq; ſortem & ferre & ſuperare poſſis. Neque aliter INVICTUS eſſes, quod nomen is duntaxat meretur; qui non modò alios, ſed, quod longè ampliſſimum victoriæ genus eſt, ſe ipſum vincit. Quod Tu ſolus & potes, & poſſe debes. Nos autem reliqui hoc nobis non tribuimus; homines enim ſumus, humanoque more gaudemus & dolemus, id quod Privatorum eſt; qui affectus ſuos habent, iisq; indulgent. Tu verò, AUGUSTE, eximius es, & cum cœleſtibus Geniis, ad quos ut faſtigio, ſic animo proximè accedis, terrenis iſtis & ſenſus communes moventibus, non moveris.

-- -- - *Imo velut altus Olympi*
Vertex, qui ſpatio ventosq́, hyemesq́, relinquens
Celſior aſſurgit pluviis, infraq́, ruenteis
Sub pedibus nimbos & cæca tonitrua calcat:

Sic Tu, CÆSAR, ad inferiora hæc & ſublunaria igneam illam & ſideribus cognatam mentem non demittis; neq; ſecunda Te efferunt, neq; ſiniſtra frangunt. Non ignoras, quid ſperaveris, quid perdideris, quantum in hac quam feciſti jactura, non AUGUSTA tantùm DOMUS TUA novâ orbitate perculſa, ſed univerſa Germania vulnus acceperit. Nolo refricare plagam nondum coalitam. Tegi deſiderat, non attingi. Et verè Tacitus noſter

ſter, imò TUUS: Domeſtica mala triſtitiâ opperienda eſſe. Ac velum Timanthis rectè obducitur iis, quorum aſpectus oculos ferit, cor ſauciat. Itaq; ſinamus, ut mortui mortuos ſuos ſepeliant. Nos vivi & vivis loquamur; Hoc ſolùm ſupereſt; & ſufficit unum funus luxiſſe. Non neceſſum eſt duplicari lateres. DEUS modò TE, DOMINE, cum AUGUSTA COMPARE ſervet: VOBIS SALVIS ſalvæ erunt omnia. Cœteris Pater Cœleſtis providebit, qui dat, adimitq; quicquid vult. Et hæc quoque non niſi bono noſtro, cui ſemper invigilat, qui non dormitat, neq; dormit. Huic fide CÆSAR; Reſtituet bonâ fide, quod abſtulit, multiplicabit numerum, quem imminuit. Reſpice conſanguineam Hiſpaniam; & PHILIPPI II. Proavi materni, imò Avunculi ac Soceri Tui PHILIPPI IV. glorioſiſſimorum Principum exempla intuere, utpote contra quos novercans natura, pro quibus Deus pugnavit, ſublatiſque Filiis Filios; novamq; & duraturam progeniem ſubſtituit. Is adhuc vivit, per miracula, præſertim in GENTE VESTRA, potens. Quam non deſeret, quia nec Ipſum Illa ſingularis & aſſidua Cœli cultrix. Non TE fugit IMPERATOR, MAXIMILIANI I. Majorum Tuorum Maximi fatum. Is unicus

 FRI-

FRIDERICI Cæſaris Filius, votum unicum, & ultima ſpes Parentis, ad ſeptimum usq; annum penè elinguis, tot periculis, tot caſibus, peculiari ab ipſomet volumine, quamvis diſſimulato nomine, deſcriptis, obnoxius & jactatus, cùm de eo Auguſtus Parens propemodum deſperaſſet, in ſpem contra ſpem crevit, adolevit, *Domum veſtram* luculentiſſimo Burgundicæ hæreditatis patrimonio auxit, ſtirpem deniq; Imperatoriam ſolus Ille in hunc usq; diem continuavit. Luſerat Fortuna cum Adoleſcente, cum Juvene, non deſiit ludere cum Viro, cum Sene. Aufert Ei, poſt paucorum annorum felix ac concors matrimonium, lectiſſimam Conjugem equo prolapſam; ſubtrahit Filium PHILIPPUM tot regnorum dotalitio jure hæredem. Sed ut errorem ſuum corrigeret, duos reliquit Nepotes CAROLUM V. & FERDINANDUM I. teneræ ætatis, longinquis & diſſitis in oris, inter extraneos, inter malevolos, nec ſatis benè affecto Avo materno ſibi potiùs quàm ſuis favente, neminiq; penitùs fido aut fidente, naſcentem eorum recentemq; fortunam jam tùm ægris occulis intuentibus, & quantum fieri poterat, impedientibus illis, qui ut olim nunc quoque luminibus veſtris per æqua, per iniqua officere non deſinunt; Quod Hiſtoriæ Conſenſu tradunt. Attamen hi

PRIN-

PRINCIPES, Alter apud Belgas, Alter apud Hiſpanos, uterq; optimè educatus, in incrementum Domus, in fulcimentum Reipublicæ, in ornamentum ſeculi ſui vixerunt, rexerunt, genuerunt fœcundiſſimam Sobolem, & utriq; Solis Domui longè lateq; dominantem. Quid nì ab eodem DEO, qui percutit & ſanat, qui vulnerat & medetur, in EADEM DOMO tot lætis, tot triſtibus illuſtratâ easdem rerum vices, eundem benignioris fortunæ regreſſum, ac rediturum poſt tot nubila Phœbum expectemus? Confide CÆSAR, neq; DEO, neq; TIBI diffide. Hactenus fortunam duntaxat adverſam tuliſti. Si modò tonuit, ſtatim ſerenabit, ſi ſuccenſuit, brevi redibit in gratiam. Neq; manus DEI abbreviata eſt unquam, neq; diu Fortuna iraſcitur. TU modò ne TIBI deſis. Securitati TUÆ conſulendum eſt. Hoc cogitandum relinquo iis, qui conſiliis TUIS præſunt, cuſtodiæ adſunt, menſæ adſtant, valetudini proſunt, Aulæ interſunt. His adverſus dæmonium meridianum, adverſus ſagittam in die volantem, adverſus negocium, quod in tenebris perambulat, ſeriò, non ſecurè laborandum eſt. Latus TUUM à domeſticis hoſtibus, ab inteſtinis inſidiis muniri debet, quod ſi factum fuerit, nihil metus ab externis. Quæ latent diſcrimina, formidoloſiora ſunt iis,

quæ

quæ patent. Unicus infecti cibi bolus, unicus corrupti potûs hauſtus tantam TUIS in TE uno cladem, inimicis ac æmulis victoriam dare capax eſt, quantam nulli exercitus, nullæ Quinctilii Vari Legiones vel patrare, vel reparare poterint. Ergò cave multos, qui ſingulos non times. Nulli non ſatis ad nocendum virium eſt. Inprimis autem ſemina malorum tollenda ſunt, & eradicanda Zizania. Noſti AUGUSTE, quid velim, quid innuam; neq; quisquam TE meliùs. Nemo anguem in ſinu, proditorem in domo fovet. Nec TU feceris. Quia TUA, quia noſtra refert, ut vivas, ut valeas, quandoquidem nec vivere ſine TE volumus, nec valere absq; TE poſſumus. Ideò valetudinem Tuam cura diligenter, in qua vita noſtra, quies gentium, ſalus populorum conſiſtit. Vale itaq; DOMINE, in multos annos, ut & nos valeamus, prout opus habet, ac deſiderat, qui SACRAS MANUS TUAS humillimo oſculo veneratur

NUMINI MAJESTATIQUE T.

devotiſſimus & ſubjectiſſimus
ſervus ac ſubditus

N. N.

SS 963205